

Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque rite expensis, rescribendum censuit : Affirmative ; seu permitti posse, in casu, Missam exsequialem lectam, loco Missæ cum cantu ; dummodo in Dominicis, aliisque Festis de præcepto non omittatur Missa Officio diei currentis respondens. Die 9 Maji 1899. » Sanctitas Sua Rescriptum Sacræ ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 12 Junii, eodem anno. (Decret. n. 4024.)

NOTA. I. Jam ante, per Decretum 22 Maji 1841 (antiq. n. 4921, ad 6, nunc expunctum), S. Rituum Congregatio pro Diœcesi Mechliniensi declaraverat, servari posse consuetudinem ibi existentem, ut in exsequiis pauperum, qui solvere non valent expensas Missæ cantatæ, Missa exsequialis de *Requiem*, præsentem cadavere, legeretur, sed iis tantum diebus quibus permittuntur Anniversaria (cfr. Articulus IV).

Ex quo autem hisce ultimis temporibus patuit mens S. Rituum Congregationis extendendi quantum potest privilegia in favorem defunctorum, non potuit ipsa non extendere etiam privilegia in favorem pauperum, qui hucusque hac in re erant conditionis inferioris quam divites, quique majorem potius quam isti merentur commiserationem.

Hoc jam per supradictum Decretum 12 Junii 1899, quantum fieri potest, factum nunc est.

NOTA. II. In exsequiis pauperum præ oculis habeatur id quod de eis dicit Rituale Romanum : « Pauperes vero, quibus mortuis nihil, aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur ; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos Defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si fuerit, juxta loci consuetudinem. » (Tit. VI, Cap. I. n. 8.)

In Appendice Statutorum Diœcesis Mechliniensis, numero XV, de sepultura pauperum hæc referuntur : « Pium ac laudandum prædicamus earum confraternitatum institutum, quæ eleemosynas colligunt, ut debito honore egenorum corpora inhumentur, quæque de Sacrificiis pro egenis litandis curam gerunt. Confidimus autem animarum curatores adlaboraturos, ut insigne

hoc misericordiæ opus in dies augeat. » (Ex Synodo Provinciali Ultrajectensi, anni 1865.)

§ 4. De numero Missarum quæ in die Sepulturæ de « Requiem » celebrari possunt

Q. 341. An plures in uno funere celebrare licet Missas exsequiales de *Requiem* privilegiatas ?

R. Negative ; mens enim Ecclesiæ est quod funus exsequiale, quo nomine intelliguntur diversi actus liturgici, a Rituali Romano præscripti ratione Sepulturæ Defuncti, et agendi circa cadaver, vel circa castrum seu tumulum, unicam tantum admittat Missam vere et proprie dictam exsequialem de *Requiem* ; illam scilicet quæ celebratur solemniter, aut saltem in cantu, ratione exsequiarum Defuncti, corpore physice, vel, juxta dicta QQ. 337 et 338, moraliter præsentem, et post quam fit Defuncti Absolutio, ac dicuntur preces Sepulturæ.

Dicta intellige de proprie dicta Missa exsequiali de *Requiem*, celebrata cum privilegiis, et sub conditionibus, hucusque in hoc Articulo III expositis.

Quod si ritus Officii occurrentis in die Depositionis, aut toto tempore ab Obitu usque ad Depositionem, quod reputatur tamquam unus dies (cfr. Q. 332), admittat Missas de *Requiem* quotidianas, seu non privilegiatas, vel si ex alio titulo, Indulti aut simili, Missæ de *Requiem* celebrari possunt, omnes Missæ pro Defuncto cujus funus agitur celebratæ profecto de *Requiem* esse poterunt, et cum eodem formulari Missæ secundæ ex quatuor diversis de *Requiem*, eademque cum Oratione dici ; sed unica tamen remanet Missa proprie et stricte dicta exsequialis de *Requiem*, cum suis adjunctis, ut notatur in responso.

NOTA. In Diœcesi nostra, præsertim ruri, exstabat, ante annum 1872, consuetudo cantandi, in solemnioribus exsequiis, tres Missas de *Requiem*, successive celebratas, etiamsi ritus Officii tali die occurrentis, plures quam unam exsequialem non admitteret. Cum privilegia Missæ exsequialis de *Requiem* pro unica Missa tantum existant, sæpius jam secunda et tertia Missa in tali casu celebrabatur de *Requiem*, iis diebus quibus non licitum erat.

Ideo in Statutis Diœcesanis, anno 1872 elaboratis, regula de

unica tantum Missa de *Requiem*, in exsequiis agendis iis diebus quibus Missæ privatæ de *Requiem* prohibite sunt, declarata fuit omnino tenenda « quacumque contraria consuetudine non obstante. » (Statuta Diœcesis, n. 353.)

Q. 342. Refer Decretum, quo S. Rituum Congregatio indulset Missas privatas de *Requiem* celebrari occasione exsequiarum. Refer etiam Decreta quibus S. Congregatio quædam dubia hac super re proposita resolvit.

R. I. « Aucto, postremis hisce temporibus, maxime in Calendariis particularibus, Officiorum duplicium numero, quum pauci supersint per annum dies, qui Missas privatas de Requie fieri permittant, et ipsa Officia semiduplicia interdum ab aliis potioris ritus impediuntur, nonnulli ecclesiastici viri pietate, doctrina ac dignitate præstantes, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillimis enixisque precibus rogarunt, ut ad juvamen fidelium defunctorum et ad spirituale solatium vivorum, in Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive privatis, præsertim iis, quæ in sepulcretis rite erecta sunt vel erigerentur, Missæ lectæ de Requie diebus etiam duplicibus aliquoties per annum de Apostolica benignitate celebrari valeant. Placuit autem eidem SSmo Domino Nostro hujus negotii examen Sacræ Rituum Congregationi committere; quæ, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibus mature perpensis, attentisque hac de re etiam peculiaribus locorum circumstantiis in Ordinario Cœtu subsignata die ad Vaticanum coadunato, ad propositam per Eminentissimum et Rmum Dominum Cardinalem Sacræ eidem Congregationi Præfectum quæstionem, respondendum censuit :

Si Sanctissimo placuerit; Iº. In.....; item IIº. quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis quum publicis tum privatis et in Sacellis ad Seminaria, Collegia, et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus, Missas privatas de Requie, præsentem, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis, sub clausulis et conditionibus, quibus, juxta Rubricas et Decreta, Missa solemniter de Requie iisdem in casibus decantatur, et exceptis duplicibus primæ classis, Dominicis aliis-

que Festis de præcepto. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Maji 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per supradictum Eminentissimum Dominum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacræ ipsius Congregationis in omnibus ratam habere et confirmare dignata est, die 8 Junii, eodem anno. » (Decret. n. 3903.)

II. Mox authentica interpretatio hujus Decreti sequens data fuit :

« Romana. Nonnulli Ecclesiarum Rectores, super legitima interpretatione Decreti *Aucto*, editi die 19 Maji atque approbati a Summo Pontifice die 8 Junii anno nuper elapso 1896, circa Missas privatas de Requie, die et pro die obitus indultas, Sacræ Rituum Congregationi sequentia dubia resolvenda humiliter proposuerunt; videlicet (omittuntur dubia 1 et 2, quæ ad rem non sunt) :

3. Missæ privatæ de Requie, quæ sub expressis conditionibus celebrari possunt præsentem cadavere, licetne erunt in quibuslibet Ecclesiis vel Oratoriis sive publicis sive privatis ?

4. Hujusmodi Missæ privatæ de Requie celebrari poterunt sine applicatione pro Defuncto, cujus cadaver est vel censetur præsens ?

5. Eadem pariter Missæ possuntne celebrari diebus non duplicibus, qui tamen Festa duplicia 1 classis excludunt, uti ex. gr., Feria IV Cinerum ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, omnibusque mature perpensis, respondendum censuit :

Ad 3. Affirmative, dummodo cadaver sit physice vel moraliter præsens; sed, si agatur de Ecclesiis et Oratoriis publicis, fieri debet etiam funus cum Missa exsequiali.

Ad 4 et 5. Negative.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 12 Januarii 1897. » (Decret. n. 3944.)

Ad normam utriusque Decreti concinnata fuit Rubrica generalis Missalis Romani (Tit. V, n. 2), cui, per Decretum 11 Decembris 1897, addita fuerunt sequentia :

« Missæ privatæ pro Defunctis ut in die obitus seu

depositionis etiam in Duplicibus celebrari possunt præsentem, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere; exceptis Duplicibus primæ classis, diebus Duplicia primæ classis excludentibus, et Festis de præcepto.»

Insuper S. Rituum Congregatio rescripsit, quod « Missæ privatæ de Requie non nisi in Ecclesia vel Oratorio publico permittuntur ubi fit funus cum Missa exsequiali; in Oratoriis autem privatis Missæ, quæ ibidem legi permittuntur, possunt esse de Requie, præsentem cadavere in domo; servatis ceteris clausulis et conditionibus.» (Decret. 3 Aprilis 1900, ad 3 et 4; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 258.)

Q. 343. *Quænam observanda sunt pro Missis privatis de Requiem, occasione exsequiarum vi præfati Decreti permittis?*

R. Prænotatur quod in nostra Diœcesi mos existit celebrandi Missas privatas in solemnioribus exsequiis quibusdam, interea dum exsequiale Officium et Missa pro Defuncto, præsentem ejus corpore, peraguntur; hujusmodi Missæ etiamsi pro Defuncto applicatæ, hucusque in diebus in quibus Officium erat duplex aut æquivalens, non poterant dici de *Requiem*; per citatum Decretum permittitur jam ut de *Requiem* dicantur, et sunt veluti aliquod additamentum ad funus exsequiale. Conditiones sequentes debent pro hujusmodi Missis de *Requiem* lectis observari:

1° Corpus Defuncti debet esse præsentem in Ecclesia, aut in Oratorio publico, in quibus exsequiæ peraguntur; et toto tempore quo præsentem est, permittuntur Missæ privatæ de *Requiem*, tot celebratis vel simul in diversis Altaribus, vel successive, quot eo tempore poterunt, et placebit. — Corpus autem debet esse præsentem, vel physice, seu materialiter, quando Missa exsequialis celebratur revera in die Obitus, seu Depositionis; vel moraliter, quando Missa exsequialis celebratur eo die qui pro die Obitus seu Depositionis haberi licite potest. — Censetur vero moraliter præsentem, quando scilicet ob causas graves, de quibus agitur Q. 337, nempe ob civile vetitum, vel ob morbum contagiosum, non po-

test deferri ad Ecclesiam, sed est aut adhuc insepultum, aut jam sepultum non tamen ultra biduum; vel etiam quando fuit sepultum absque Missa exsequiali ob causam celebritatis dierum (cfr. Q. 338). — Absente vero cadavere, Missas privatas de *Requiem* dicere in duplicibus aut æquivalentibus non licet, deficiente conditione præsentem corporis vel physicæ, vel moralis.

In quibusdam regionibus, ex. gr. in quibusdam partibus Italiæ, mos existit deferendi corpus Defuncti ad Ecclesiam pridie funeris exsequialis ad vesperam; quando auctores liturgici harum regionum dicunt Missas de *Requiem* privatas jam posse celebrari per totum mane, verum dicunt, quia per totum mane præsentem est in Ecclesia cadaver; sed eorum dicta apud nos, ubi corpus defertur ad Ecclesiam ipsa determinata hora funeris tantum, applicare non licet.

2° Debet in Ecclesia, vel Oratorio publico funus cum Missa exsequiali de *Requiem*, solemnem aut cantata, celebrari. — Inferes, quod Missæ privatæ de *Requiem* in duplicibus permittuntur, non in singulis diebus infra tempus quod ab obitu Defuncti ad ejus tumulationem intercedit, sed in uno eodemque die tantum in quo exsequiæ fiunt; — item, sicut in una tantum Ecclesia, nempe Defuncti, Missa exsequialis celebrari potest, ita pariter in una tantum, et in illa solum in qua funus agitur, celebrari possunt Missæ privatæ; — item, omissa Missa exsequiali solemnem aut cantata, non permittuntur Missæ privatæ de *Requiem*: Decretum requirit Missam exsequialem solemnem, aut cantatam, et non loquitur de casu in quo Missa exsequialis solummodo legitur, nempe in funere pauperum (Q. 340); — tandem, quæcumque clausulæ, vel conditiones comprobari debent ut cani possit Missa exsequialis de *Requiem*, eadem omnes debent comprobari ut licite dicantur Missæ privatæ de *Requiem*.

3° Missæ privatæ de *Requiem* ut valeant dici, debent applicari pro Defuncto, cujus cadaver est vel censetur præsentem.

4° Excipiuntur sequentes dies, in quibus, etiamsi possit celebrari Missa exsequialis de *Requiem* solemnem, vel cantata, et etiamsi cadaver sit physice, aut morali-

ter præsens, tamen non possunt dici de *Requiem* Missæ privatæ pro Defuncto cujus funus agitur, scilicet :

a) Omnia Festa duplicia 1 classis.

b) Omnes dies, quorum Officia non admittunt celebrationem Festi duplicis 1 classis, nempe : Feriæ privilegiatæ (IV Cinerum, et II, III, ac IV Hebdomadæ Sanctæ) ; — Vigiliæ Nativitatis Domini, et Pentecostes ; — dies infra Octavas Paschatis, et Pentecostes, et dies Octavæ Nativitatis Domini, et Epiphaniæ.

c) Omnes Dominicæ.

d) Omnia Festa de præcepto ; in præsentī casu intelligenda sunt Festa quæ revera et de facto cum feriatione recoluntur, non ea omnia quæ jus ad feriationem habent : unde pro nostra Diœcesi non est animadvertenda hæc series dierum prohibentium Missas privatas de *Requiem*, cum Festa de facto cum feriatione apud nos celebrata jam recenseantur inter Festa duplicia 1 classis.

NOTA. Decretum dicit Missas privatas de *Requiem* etiam posse fieri in Oratoriis privatis, et in Sacellis ad Seminaria, Collegia, et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus ; quod ut intelligatur, animadvertendum est, in multis Regularium Conventibus seu Domibus, in multis Collegiis ac Seminariis, præsertim quorum moderatores Regulares sunt, præter Ecclesiam, vel Oratorium publicum, aut principale, etiam haberi, ex privilegio speciali, Oratorium aliquod domesticum, seu privatum, ad usum, non totius Collegii, aut Seminarii, sed quorundam ex inhabitantibus tantum, aut ad usum privatum Communitatis Religiosæ.

Si in aliqua Ecclesia, aut Oratorio publico, aut principali Regularium, aut Collegii, aut Seminarii exsequiæ peragantur Defuncti, qui vivens Communitatis membrum erat ; quo tempore in Ecclesia aut Oratorio principali publico, aut principali, præsentē ibi Defuncti cadavere, physice aut moraliter, permittuntur Missæ privatæ de *Requiem*, etiam eodem tempore Missæ quæ celebrari permittuntur in hujusmodi Oratorio domestico, seu privato ejusdem Conventus aut Instituti, possunt dici de *Requiem*, ob relationem quæ existit. Sed

non permitterentur Missæ privatæ de *Requiem* in Oratoriis iisdem, si Defuncti funus peragitur in Ecclesia parochiali.

Q. 344. Casu quo plures Missæ de *Requiem* celebrari possunt pro Defuncto, inde ab ejus obitu usque ad tumulationem, quæ Missa dicenda est, et quomodo ?

R. Omnes Missæ, sive solemnes, sive cantatæ, sive privatæ, et ubicumque celebrentur, dicendæ sunt ut in formulari primo vel secundo ex quatuor quæ pro Missis Defunctorum in Missali describuntur, juxta distinctionem personarum pro quibus Missæ celebrantur ; nempe ut in formulari primo, si celebrantur pro Papa, Cardinali, Episcopo, vel etiam pro Sacerdote ; ut in formulari secundo, si celebrantur pro aliis Defunctis (cfr. Q. 313) ; et dicuntur sub ritu qui duplici respondet, cum Oratione unica hujus Missæ, vel cum Oratione unica quæ propria est pro quibusdam ecclesiasticis personis, uti expositum fuit QQ. 321 et 325.

Prædicta confirmantur sequenti S. Rituum Congregationis Decreto : « Quæritur : 1º An in Missis de Requie, quæ, abstrahendo a Missa exsequiali solemnī aliisque, occasione hujus lectis, in Semiduplicibus et Simplicibus occurrentibus ab obitu usque ad depositionem alicujus fiunt cum vel sine cantu, adhibendum sit idem formulare ac in die obitus seu depositionis ? — 2º An idem dicendum sit etiam respectu Missarum, quæ celebrantur in biduo post factam ob gravem causam sepulturam, si occurrat Semiduplex, vel Simplex ? » S. Congregatio rescribendum censuit ; « Ad 1 et 2, adhibeatur Missa ut in die obitus, seu depositionis. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 11 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 355.)

APPENDIX

DE MISSA DE « REQUIEM » NUNTIO PRIMO DE OBITU
ALICUJUS ACCEPTO

Q. 345. Quid notandum venit super celebratione Missæ de *Requiem*, post acceptum nuntium de alicujus obitu ?

R. I. Ex variis documentis docemur quod ab antiquissimo tempore, nempe a sæculo octavo, inter diversas Monachorum Congregationes exstiterint Societates

communione suffragiorum, quorum finis erat mutua reddere suffragia animabus defunctorum confratrum, et speciatim, accepto nuntio decessus alicujus confratris, statim in cæteris monasteriis pro defuncto Missam decantare. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 593 et sqq.)

Ex antiquis S. Rituum Congregationis Decretis constat etiam concessa fuisse privilegia, vi quorum nonnullis Religiosis Familiis, intra quosdam limites, licebat ad nuntium mortis, in loco dissito, alicujus confratris de gremio Congregationis, sive benefactoris Ecclesiæ Ordinis, pro defuncto celebrare Missam de *Requiem*, solemnem aut cantatam, corpore non præsentem, etiam in determinatis diebus in quibus id non licebat sine privilegio.

Attamen Decreta S. Rituum Congregationis, in quibus de talibus privilegiis quæstio erat, e nova editione Decretorum, anni 1898, expuncta fuerunt; privilegium enim Missæ de *Requiem*, celebrandæ post acceptam notitiam de alicujus obitu, impræsentiarum fuit extensum in gratiam personarum quarumcumque, etiam particularium. Quod itaque hucusque erat privilegium, seu Indultum particulare, hodie fit generalis regula.

II. Etenim in Decreto generali « Missæ exsequialis pro die obitus » (2 Decembris 1891, n. 3755, ad III), decrevit S. Rituum Congregatio: « Denique eadem Missa celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium, die quæ prima occurrat, non impedita a Festo duplici primæ et secundæ classis vel a Festo de præcepto: quo etiam in casu Missa dicenda erit ut in die obitus. »

Et in alio Decreto generali « Orationum et Sequentiæ in Missis Defunctorum » (30 Junii 1896, n. 3920, ad I). S. Congregatio declaravit unam tantum esse dicendam Orationem in hac Missa, et hanc Missam talem esse quæ « solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat. » Ad normam hujus Decreti concinnata fuit, per Decretum 11 Decembris 1897, Rubrica generalis Missalis (Tit. V, n. 3), in quâ nunc idem dictum reperitur.

Igitur hodiedum, post acceptum a locis dissitis nun-

tium de alicujus obitu, quicumque sit, licet, si placet, pro isto defuncto celebrare solemniter, sub determinatis tamen conditionibus, Missam de *Requiem*; quæ Missa de *Requiem* de numero privilegiatarum pro defunctis est (cfr. Q. 312).

Et hæc Missa privilegiata potest quidem celebrari in pluribus Ecclesiis in quibus a dissito loco nuntium obitus accipitur; sed pro prima vice tantum, id est, pro unica vice tantum; ita ut, celebrata pro defuncto semel hac Missa privilegiata in una Ecclesia, non ulterius privilegium concedatur hujusmodi Missam iterum celebrandi pro eodem defuncto in eadem Ecclesia.

III. Quam opportuna sit hæc privilegii hucusque particularis ad omnes fideles extensio, et sapiens nova inde enata Rubricarum regula, patet ex consideratione, quod in posterum, ex. gr., in Seminariis, Collegiis, Institutisque variis, accepto nuntio defuncti magistri aut sodalis, Missa de *Requiem*, ex omnium votis pro ipso celebranda, quæ hucusque pluribus diebus illicita erat, quantocius nunc, et paucis tantum diebus exceptis, et ritu quidem duplici poterit celebrari; — item pro defuncto confratre, aut socio, aut membro, confraternitatis, societatis cujuscumque, ubi notitia de ejus obitu accipitur; — imo si quæcumque persona, post acceptum nuntium de obitu cujuscumque familiaris, aut amici, desiderat pro ipso celebrari Missam de *Requiem*, huic desiderio, ad juvamen defuncti, et ad spirituale solatium petentis, poterit fieri satis. — Et ita, habita ratione celeritatis quacum nuntia a locis maxime dissitis accipiuntur, ex. gr., telegrapho, in pluribus locis poterit Missa de *Requiem* privilegiata pro defuncto cantari, etiam nondum sepulto corpore, dum id non licebit in Ecclesia in qua funus ejusdem defuncti fiet.

Q. 346. *Quænam sunt conditiones sub quibus Missa de Requiem, post acceptum nuntium de alicujus obitu, est celebranda?*

R. Missa hæc reliquis Missis de *Requiem* privilegiatis æquiparatur, iisdemque fere subjacet regulis, quibus aliæ Missæ, quæ in diebus pro defunctis privilegiatis, nempe in diebus tertio, septimo, trigesimo, et anniversario (cfr. Q. 312) celebrantur.

340 (Q. 346) De Missa post nuntium obitus

1^o Celebrari in casu potest Missa de *Requiem*, modo occurrens Officium diei non impediatur.

Prohibetur igitur : in Dominicis omnibus ; — in Festis duplicibus 1 et 2 classis, et iis Festis quæ de jure de præcepto sunt ; — infra Octavas privilegiatas Epiphaniæ, Paschatis, et Pentecostes ; — in Feriis privilegiatis, nempe quarta Cinerum, et totius Hebdomadæ Sanctæ ; — in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, et Pentecostes ; — publice exposito SS. Sacramento.

NOTA. Ex eo quod in Decreto 2 Decembris 1891 dicitur quod hanc Missam prohibent Festa duplicia 1 et 2 classis vel Festa de præcepto, non est concludendum Missam permitti in Octavis privilegiatis Epiphaniæ, Paschatis, et Pentecostes ; item in Feriis IV Cinerum, et Hebdomadæ Sanctæ ; item in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes ; nam Octava Paschatis et Pentecostes ac dies Octava Epiphaniæ, et Feriæ prædictæ, ac Vigiliæ tales sunt quæ excludunt quæcumque Festa duplicia etiam 1 classis, et dies infra Octavam Epiphaniæ admittunt tantum Festa duplicia 1 classis. Applicare hic licet id quod S. Rituum Congregatio declaravit pro Missis lectis de *Requiem* in funere defuncti (cfr. Q. 342, II. ad 5).

Prædicta confirmantur sequenti Decreto S. Rituum Congregationis : « Quæritur : Utrum Missa de Requie cum cantu, quæ... celebrari potest pro prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium, die, quæ prima occurrat non impedita a Festo 1 et 2 classis vel Festo de præcepto, cantari possit Feria IV Cinerum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV, V, VI et Sabbato infra Octavas Paschatis et Pentecostes, quum licet hæc dies neque Festa sint de præcepto, neque ritum 1 vel 2 classis habeant, excludant tamen eadem Duplicia 1 classis ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative in omnibus, juxta Decretum Generale n. 3922, diei 30 Junii 1896, § III, n. 2. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 10 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 355.)

2^o Missa de *Requiem* debet celebrari solemniter, aut cantata ; Missa lecta vero iis diebus tantum permittitur quando ritus Officii occurrentis Missas de *Requiem* lectas, seu quotidianas admittit.

3^o Missa in casu celebrata, sive solemniter, et cantata, sive permittente ritu lecta, celebratur solemniter, et est ritus duplicis, et consequenter unica tantum in ea dici debet Oratio, sicuti quando solemniter, id est in diebus privilegiatis, pro defunctis celebratur. Missa hæc utique dici debet secunda ex quatuor Missis de *Re-*

De Missa in diebus 3^o, 7^o, 30^o (Q. 347) 341

quiem, quæ pro die Obitus seu Depositionis inscribitur ; imo, sepulto jam defuncto pro quo celebratur, id est, post diem qui est Depositionis, aut qui pro die Depositionis computatur (cfr. Q. 337), dicitur Oratio quæ est hujus secundæ Missæ propria. (Cfr. Q. 325, 4^o, b.)

4^o Celebrari debet hæc Missa de *Requiem* post acceptum nuntium de alicujus obitu, primo die liturgice non impedito (cfr. supra 1^o) post acceptam notitiam.

« Notandum hic est quod, si non agatur de impedimento liturgico, sed de alio occurrente ob causam, ex. gr., pompæ parandæ, invitationis perficiendæ, etc., expectandum, ut alias, est usque ad diem liberum a duplici etiam minori. Et merito, namque Ecclesia nunquam intendit extensionem privilegii ad istiusmodi impedimenta applicare. » (Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 603 : Solutio Academiæ Liturgicæ Romanæ.)

NOTA. Pro hoc puncto desideratur aliqua authentica declaratio, seu potius ulterior concessio. Etenim hujus Missæ celebratio non raro, imo plerumque inopinato superveniet ; — esto quod in Seminariis, Collegiis, Institutis, Religiosis Familiis possibile sit omnia ordinare et præparare, ut hodie accepto nuntio, crastino die, si est liturgice liber, Missa de *Requiem* pro defuncto celebretur ; — in non paucis casibus vero hæc præparatio non erit ita facilis : ex. gr., familiares et amici non possunt plerumque de præsentis die, in quo nuntium obitus consodalis aut amici accipitur, in crastinum pro Missa ad Ecclesiam convocari ; — in Ecclesia, in qua particularis quidam desiderat Missam celebrari de *Requiem*, pro defuncto familiari aut amico cujus mortis notitiam accepit, aliæ Missæ forsitan sunt annuntiatæ, vel exonerandæ ; etc. ; — hujusmodi impedimenta vero non sunt liturgica, talia quæ liturgicam Missæ translationem permittunt ; — itaque in variis casibus hujusmodi, pro primo die post acceptum obitus nuntium, liturgice libero, omnia non poterunt parari. Si ergo privilegium conceditur tantum pro stricte primo die liturgice libero post acceptum nuntium de alicujus obitu in dissito loco, applicatio privilegii sæpius, ut experientia jam constat, erit manca.

ARTICULUS IV

DE MISSIS DE « REQUIEM » IN DIE TERTIO, SEPTIMO ET TRIGESIMO DEPOSITIONIS DEFUNCTI.

Q. 347. Quomodo computantur dies tertius, septimus, et trigesimus, qui privilegiati pro Defunctis habentur ?